

De Unione Civitatis superioris et inferioris Crisiensis; Commissio simul et Commissarii decernuntur.

Articulus 103.

Cum Libera, ac Regia Civitas superior et inferior Crisiensis, in duas prorsus independentes partes divisa sit, Judicesque et Juratos quaelibet suos non subalternatos, sed ab invicem independentes habeat; et exinde in Taxarum solutionibus et aliis communibus ipsarum negotiis, diversae emergant difficultates:

§. 1. Consultum proinde censent Status et Ordines; ut eadem partes et Civitates sic divisae, in unum Corpus uniri; *) et utrique partium simul unus tantummodo Supremus Judex, Jurati vero, sive Senatores, ex utraque parte proportionaliter jam et futuris Annis eligi debeant.

§. 2. Ad quod exequendum; Reverendissimus Dominus Petrus Petreticz, Episcopus Zagrabiensis; ac Magnifici Domini Sigismundus Keglevich de Buzin, suae Majestatis Consilarii: Nec non Dominus Caspar Orechoczy, illius Regni Vice-Banus (non abstante unius absentia) cum plenaria uniendi, determinandi et exequendi facultate, pro Commissariis denominati sunt:

§. 3. Salvis in reliquo utriusque Civitatis Privilegiis, in suo vigore permanentibus.

De modo procedendi, in Executionibus Sententiarum notoriarum et Capitalium, imposterum observando.

Articulus 104.

In Executione Sententiarum Notoriarum et Capitalium, in posterum extradandarum, Status et Ordines observandum concludunt, Titulum 6. primae partis Decreti Tripartiti, cum ea declaratione: Quod legitimae Filiorum et Fratrum, ac ubi competit Filiarum, aliorumque legitime compositionatorum portiones, tam in Ungariae, quam Sclavoniae et Croatiae Regnis; non a Fisco post Executionem Bonorum, sed tempore Executionis, per Executores ad id exmitti et in Sententialibus denominari solitos, sequestrari; et pro talibus Compositionatis, suae legitimae portiones intactae relinqui, debeant. **)

Exactio et Acquisitio Decimarum, in Regno Sclavoniae et Croatiae; juxta Articulus 3. Anni 1636. observetur.

Articulus 105.

Circa Exactionem et acquisitionem Decimarum, tam Capitularium, quam Episcopale, in Regno Sclavoniae et Croatiae, Articulus 3. ejusdem Regni, in Anno

*) Urgetur sub gravi poena; An. 1715. a. 127.

**) Renovatur; An. 1681. a. 37. Confer; Tyroc. Jur. Ung. p. 1. t. 16.